

Lodovico Bavariae Duce auxilia per legatos implorarunt . Verum illi ne Tyrannos omnino prodidisse viderentur , legatos uno tempore Venetias miserunt , qui , si fieri posset , auctores pacis inter Venetos & Scalanos essent . Hæc coram , occulte vero aliud mandatum : ut si pax nulla secuta esset , societatem cum Venetis adversus Mastinum inirent . Sexaginta Principum ac populorum legationes uno tempore Venetias venire . Venit & hostium nomine Marsilius Carrarius , quem lapidibus a plebe sub primum appulsum contra jus gentium violatum ferunt ; neque vero id tam in Marsilii quam tyrannorum invidiam , quos Veneti infense oderant . Fuerunt ea tempestate , qui id arte factum interpretarentur , quominus Scalanis ille suspectus esset , adversus quos , ut cæteri legati , occulta cum Venetis colloquia habiturus venerat . Petentibus itaque Venetis : ut Patavium , Taurisium , Parma , in pristinam libertatem restituerentur , Lucaque in Hetruria Florentinis daretur : quia eas condiciones , velut ignominiae plenas , Scalani averfabantur , infecta re dimissi sunt legati . Interim Accionis Vicecomitis , Philippi Gonzagæ , atque aliorum quorundam oratores fœdus cum Venetis in Mastinum & fratrem percusserunt . Marsilius cum Principe secretiore sermone egit de Patavina defectione , quæ non multo post secuta est . Ferunt eum , astante legatorum corona , demisso sermone Dandulo dixisse : *Ecquid si tibi , Princeps , Paduam daremus ?* Tum illum , & voce & vultu rem quæ interim agebatur , dissimulando , *Eam tibi habendam traderemus* , respondisse . Hoc magis placet , quam illud quod vulgus tenet : a Carrarii Principis legato id diu postea dictum , quum laute in curia Princeps & Patres festa Viti Martyris luce ex consuetudine epularentur . Verum enim vero potuit fieri ut in convivio id acciderit : sed proditoris persona illorum arguit errorem . Constat enim ei civitatis regimen , quisquis ille fuit , ab initio promissum : quod Marsilio postea est datum : ei vero quem illi ajunt , minime . Dum hæc domi aguntur , interim aliquot Patavini agri oppida a Rubrio hostibus adempta sunt . Quibus receptis , quum ad urbem copias admovisset , portarum unam , quæ Sanctorum omnium

1337

Multorum
Principum
legati de pace
acturi ,
uno tempore
Venetias ve-
nere .